

de Deo liqueat! Bonum virum in deliciis non habet: experitur, indurat, sibi illum praeparat.

II. «Quare multa bonis viris adversa eveniunt?» Nihil accidere bono viro mali potest. Non miscentur contraria. Quemadmodum tot amnes, tantum superne dejectorum imbrium, tanta medicatorum vis fontium, non mutant saporem maris, nec remittunt quidem: ita adversarum impetus rerum viri fortis non vertit animum. Manet in statu, et quidquid evenit, in suum colorem trahit. Est enim omnibus externis potentior: nec hoc dico, non sentit illa: sed vincit, et alioquin quietus placidusque, contra incurrentia attollitur. Omnia adversa, exercitationes putat. Quis autem, vir modo, et erectus ad honesta, non est laboris appetens justus, et ad officia cum periculo promptus? Cui non industrioso otium poena est? Athletas videmus, quibus virium cura est, cum fortissimis quibusque conflagere, et exigere ab his, per quos certamini praeparantur, ut totis contra ipsos viribus utantur. Caedi se vexarique patiuntur: et si non inveniunt singulos pares, pluribus simul objiciuntur. Marcet sine adversario virtus. Tunc apparet quanta sit, quantum valeat, quantumque polleat, cum quid possit, patientia ostendit. Scias licet, idem viris bonis esse faciendum, ut dura ac difficilia non reformident, nec de fato querantur; quidquid accidit, boni consulant, in bonum vertant. Non quid, sed quemadmodum feras, interest. Non vides quanto aliter patres, aliter matres indulgeant? Illi excitari jubent liberos, ad studia obeunda mature, feriatis quoque diebus non patiuntur esse otiosos, et sudorem illis, et interdum lacrimas excutiant: at matres fovere in sinu, continere in umbra volunt; nunquam flere, nunquam tristari, nunquam laborare. Patrium habet Deus adversus bonos viros animum, et illos fortiter amat: et, «Operibus,» inquit, «doloribus, ac damnis exagitentur, ut verum colligant robur!» Languent per inertiam saginata, nec labore tantum, sed motu, et ipso sui onere deficient.